

THE COLLEGES OF OXFORD UNIVERSITY

Entrance Examination in Classics

and

Entrance Examination in Modern Languages

LATIN TRANSLATION

Thursday, 16 November 1995. Afternoon.  
Time allowed: 3 hours

---

*The following passages, for translation into English, are arranged in ascending order of difficulty.*

(a) The character and writings of the elder Cato.

In omnibus rebus Cato singulari fuit industria: nam et agricola sollers et peritus iurisconsultus et magnus imperator et probabilis orator et cupidissimus litterarum fuit. quarum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit, ut non facile reperiri possit neque de Graecis neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. ab adolescentia confecit orationes. senex historias scribere instituit. earum sunt libri VII. primus continet res gestas regum populi Romani, secundus et tertius unde quaeque civitas orta sit Italica, ob quam rem omnes Origines videtur appellasse. in quarto autem bellum Poenicum est primum, in quinto secundum. atque haec omnia capitulatim sunt dicta. reliquaue bella pari modo persecutus est usque ad praeturam Servii Galbae, qui diripuit Lusitanos: atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit. in eisdem exposuit, quae in Italia Hispanisque aut fierent aut viderentur admiranda: in quibus multa industria apparet, nulla doctrina.

NEPOS, *Cato* 3 (adapted)

|                       |                                              |
|-----------------------|----------------------------------------------|
| sollers:              | shrewd                                       |
| Origines:             | <i>Origins</i> (the title of Cato's History) |
| capitulatim (adverb): | in summary form                              |

## (b) The Last Words of Maecenas to his friend Caesar Augustus.

'sed tamen hoc satis est: vixi te, Caesar, amico  
     et morior' dixit, 'dum moriorque, satis.  
 mollibus ex oculis aliquis tibi procidet umor,  
     cum dicar subita voce fuisse tibi.  
 hoc mihi contingat: iaceam tellure sub aequa.  
     nec tamen hoc ultra te doluisse velim.  
 sed meminisse velim: vivam sermonibus illic;  
     semper ero, semper si meminisse voles.  
 et decet et certe vivam tibi semper amore  
     nec tibi qui moritur desinit esse tuus.  
 ipse ego quicquid ero cineres interque favillas,  
     tunc quoque non potero non memor esse tui.  
 vive diu, mi care senex, pete sidera sero:  
     est opus hoc terris, te quoque velle decet.  
 et tibi succrescant iuvenes bis Caesare digni  
     et tradant porro Caesaris usque genus.'

*Elegy on Maecenas 2.11-30*

favillae (nom. plur.):      embers

- (c) Is it fitting to introduce great men as characters in philosophical dialogues?

Restat ut iis respondeam qui sermonibus eius modi nolint personas tam graves inligari — quasi vero clarorum virorum aut tacitos congressus esse oporteat aut ludicos sermones aut rerum conloquia leviorum. etenim si quodam in libro vere est a nobis philosophia laudata, profecto eius tractatio optimo atque amplissimo quoque dignissima est. nec quicquam aliud videndum est nobis, quos populus Romanus hoc in gradu conlocavit, nisi ne quid privatis studiis de opera publica detrahamus. quod si cum fungi munere debebamus non modo operam nostram numquam a populari coetu removimus sed ne litteram quidem ullam fecimus nisi forensem, quis reprendet otium nostrum, qui in eo non modo nosmet ipsos hebescere et languere nolumus sed etiam ut plurimis prosimus enitimur. gloriam vero non modo non minui sed etiam augeri arbitramur eorum quorum ad populares inlustresque laudes has etiam minus notas minusque pervolgatas adiungimus.

CICERO, *Lucullus* 2, 6

|                                      |                     |
|--------------------------------------|---------------------|
| <u>inligo</u> :                      | I involve           |
| <u>tractatio</u> (nom. sing.):       | treatment, handling |
| <u>gradus</u> (gen. <u>gradūs</u> ): | position of honour  |
| <u>hebesco</u> :                     | I grow weak         |